[illegible]

[BIBLIOTHECA SCRIPTORUM GRAECORUM ET ROMANORUM TEUBNERIANA. S. g.]

ANACREONTIS TEII

QUAE VOCANTUR

ΣΥΜΠΟΣΙΑΚΑ ΗΜΙΑΜΒΙΑ

EX

ANTHOLOGIAE PALATINAE VOLUMINE ALTERO
NUNC PARISIENSI

POST

HENRICUM STEPHANUM ET JOSEPHUM SPALLETTI

TERTIUM EDITA

A

VALENTINO ROSE.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
NUNC ITERUM IMPRESSA
MDCCCXC.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

Versiculos (ex parte) *lepidissimos* (quasi) *Anacreontis senis* ex eodem nunc codice edo in membranis scripto (saec. X/XI[1]), ex quo eos qui primus invenit sua ipse manu accuratissime olim exscripsit Henricus Stephanus, cum ex Britannia rediens Lovaniensem academiam iuvenis inviseret anno 1551. idem enim est vetus ille *codex epigrammatum*[2] *quem Lovanii habebat Ioannes Clemens Anglus* ex quo se epigrammata quaedam γριφώδη (Anth. Pal. XIV, 52. 56. 57. 58. 60. 62) descripsisse ipse ait Stephanus in appendice anthologiae Planudeae (p. 535) a. 1566 impressa, idem ex quo[3], nonnullis carminibus certo consilio sepositis, *Anacreontis Teii odas* mutato quidem ordine taciteque, ut eius mos ferebat, correctas Parisiis ex Italia reversus edidit a. 1554. idem est quem post Clementis Macliniae a. 1572 mortui heredes[4] in bibliotheca electorali Palatina recens ut videtur[5] emptum Iano Grutero bibliothecario auctore versavit Salmasius (a. 1607 et sqq.), idem quem Heidelberga capta cum reliquis *opulentae* bibliothecae voluminibus tegumento prius exutis[6] Romam avexit Leo Allatius bibliothecae Vaticanae scriptor (a. 1623). ubi cum denuo membranae compingerentur, ex uno quod fuerat duo volumina evaserunt temere dissecta. atque ea de causa factum est ut postquam Parisios utrumque eiusdem codicis volumen a Gallis victoribus delatum est (a. 1797), altera tantum maiorque

Anthologiae Palatinae pars (p. 1—614) in bibliothecam universitatis Heidelbergensis (a. 1816) rediret (cod. Pal. gr. 23[7]), altera minor pars (615—709[8]) a Wilkenio ignorata, remaneret Parisiis (cod. Par. suppl. gr. 384), ubi nunc etiam quodammodo delitescit (cf. Didot, Notice sur Anacréon. Par. 1864 p. 39 sq., Mehlhorn praef. ed. Glogav. 1825 p. 2 sq.). Utrumque tomum ipse vidi, alterum Heidelbergae anno 1860, Parisiis[9] alterum 1864. Anacreontea quae habentur p. 675—690[10], duobus annis post (3—7 Sept. 1866) ibidem contuli cum tabulis Spallettianis, quae scriptum exemplar fallaci quadam imitatione referunt.[11]

Amica insuper W. N. du Rieu Batavi cura factum est ut in manibus sit Henrici Stephani apographum ex bibliotheca academiae Lugduno-Batavae huc transmissum. habetur in codice Vossiano gr. qu. 18 inter varia Stephani partim apographa partim codicum ab eo olim collectorum fragmenta in unum volumen compacta[12], ab ipso Stephano sine ullo dubio scriptum, ab ipso licet manu diversissima[13] et dum per annos complures chartas tereret vario tempore varia, atramento item vario, ad marginem coniecturis suis notulisque ubique oppletum. adhaerent in foliis singulis diversisque atque in unum postea confusis eadem carmina vario adhuc et incerto conamine saepeque correcto ab ipso latine versa cum textu graeco iuxta repetito. in vacuo uno folio quod ad primum ipsius textus apographum pertinet, aversa pagina legitur titulus *ἀνακρέοντος τηΐου συμποσιακὰ ἡμιάμβια* et infra eum *κτῆμα ἐῤῥίκου τοῦ στεφάνου*, antea in altera eiusdem folii pagina item vacua ab eadem

Henrici manu scripta non nisi haec verba vides *δοσιάδα βωμός,* quae secundae sic Arae in Anth. Pal. XV, 26 adscribuntur. nec tamen ultra quidquam ex libro Clementis Stephanus videtur enotasse. nam hoc quidem comparanti certum est, Anthologiae carmina illa quae Anacreontem praecedunt figurata, utpote quae iandudum una cum Theocrito et Iuntino et Calliergi Romano (1516) edita esse sciret, ea iterum eum non descripsisse. vulgatos enim textus Theocrito auctori una cum Syringe [14] attributos ipse postea typis repetivit (in Poet. Gr. princ. her. 1566 t. II, 282 sqq.), ita quidem ut propter Hephaestionis testimonium ad Simmiam Rhodium auctorem omnes primus transferret. priorem Aram, quam non habuerat Calliergus, eam et ipse omisit, primus autem (ex Theocriteo quodam ut patet codice, velut qui est apud Ahrensium Mediol. c) edidit addiditque Simmiae Ovum. [15] etenim si veri quidem est simile, immo si manifestum est et figurata illa carmina et epigrammata Theocriti ad unum omnia ex ipsa qualem in codice Palatino auctam legimus Cephalae Anthologia postmodum collecta esse neque ante saecula XIV et XV ex hoc uno primoque fonte per varia exemplaria iterum dispersa fuisse seorsim scripta atque Theocriteis addita [16], hoc simul utraque scriptura collata constat [17] non ex ipso codice Palatino sed ex alio quodam Anthologiae exemplari haec manasse. nec tituli quidem illius quem ipse olim ex libro Clementis notaverat arae Dosiadis memor fuisse Stephanus intelligitur, cum a. 1566 ad arae inscriptionem haec notaret (Annot. p. LII ad II 285) *Σιμμίου*] *Suspectum esse hunc titulum βωμοῦ non ignoro: contra quosdam esse scio qui hunc illum*

esse δωσιάδου βωμὸν suspicentur cuius a Luciano facta est mentio: ego quaestionem hanc in medio relinquens, scholia in hoc idyllium in libro ab annis non adeo multis scripto inventa censui, qualiacunque sunt, lectori in calce huius libri esse exhibenda. haec autem illis adstipulantur qui Dosiadae adscribunt. et sic factum est ut postea in titulo Theocriti a. 1579 editi sine dubitatione poneret *Dosiadis aram.*

Iam vero si quaeris quomodo venerandum illud atque unicum veteris Anthologiae exemplar quod in itinere Stephanus inspexit Lovanii, in Clementis Britanni manus venerit, in tanta Anglorum[18] Henrico VIII. regnante apud Italos ut litteris Graecis Latinisque operam darent Patavii frequentia, multa atque diversa fingi possunt quae probabiliter respondeas. erat enim Clemens (John Clement) Thomae Mori olim *puer*[19] et inde a puero ad *martyrium* (1535) usque familiaris, amicus[20] idem Reginaldi Poli nobilissimi iuvenis (et postea cardinalis) qui postquam Oxoniae egit una cum Clemente (is enim Graecas ibi litteras professus est *auditorio tanto quanto non ante quisquam*[21] c. a. 1519 in collegio cardinalis Wolsaei, postea succedente Thoma Lupseto), in Italiam studiorum causa profectus est (a. 1520—1525). circa idem tempus (scil. inde a Ianuario a. 1522 usque ad Octobr. 1525) in Italia modo Romae modo apud Venetos commoratus est Erasmi amicissimus Richardus Paceus[22] regis Angliae orator, circa idem tempus (1523—25) Thomas Lupsetus, qui cum post mortem Chr. Longolii (1522, III. idus Sept.) in contubernio Poli vixisset Patavii, *in comitatu magnifici Poli*[23] per Constantiam (m. ut videtur Octobri a. 1525) rediit.

atque hoc idem unum est quod certum proferre possum, et ipsum tunc Clementem in Italia fuisse codicis Palatini postea possessorem, scilicet a vere 1522 usque ad finem 1525, Patavii partim ubi tunc docebant cum Baptista Leonio et Nicolao Leonico Romulus Amasaeus et Lazarus Bonamicus[24] (medicus autem Veronae clarebat Hieronymus Fracastorus), partim Venetiis apud librarios Aldinos. constat praeterea eum qui iandudum *se totum addixit rei medicae*[25], in Italia medicum philologum libros graece scriptos collegisse magnasque eius apud Andream Asulanum in operibus Galeni edendis (Ven. m. April. et August. 1525) partes fuisse. num Romae fuerit ignoratur. sed hoc scimus eum ante ver sequentis anni (1526) in patria fuisse ex itinere reversum: tunc enim[26] in matrimonium duxit *alteram* illam Margaretam Gyge quae inter Mori filias cognata[27] ab ipso primum Clemente educata fuit. verisimile igitur est Clementem ex Italia codicem Palatinum ad Morum suum detulisse, qui iuvenis cum Guil. Lilio sodali *vertendis Graecis* (Planudeae) *epigrammatibus olim colluserat*[28]: eoque magis quod etiam Clemens (qui tunc mos erat philologorum Anglorum, velut Io. Lelandi al.) *scripsit ipse epigrammatum et aliorum carminum librum unum*[29], teste Pitseo.

Nihilominus si altum postea Stephani silentium tibi qui hominis meritissimi mores noveris mirum minime videbitur, unus tamen hic scrupulus animo residet quomodo in tanto virorum eruditorum certamine studiorumque summa iam aemulatione codex ille vel Clementis aetate (1522) in Italia Italos latuerit Graecosque in Italia degentes docentesque, M.

Musurum praesertim eiusque gentilem Zachariam Calliergum Cretensem[30] ipsumque Ianum Lascarim qui anthologiam Planudeam Florentiae primus (1494) ediderat altera iam vice Venetiis (ab Aldi socero 1521) recusam. neque magis hoc, cuius eadem causa est, intelligitur, cur si illum ex Graecia allatum in manibus tenuisset Nicolaus Sophianus Corcyraeus[31] vidissetque Franciscus Portus[32] Sigonii praeceptor vel in celeberrimis Angeli Colotii († 1549/50) aedibus Romae iuvenis vidisset Fulvius Ursinus Romanus (n. 1530), id longo post tempore incertoque et confuso rumore[33] traderetur. attamen quod mirum fuit Clementis tempore, hoc si etiam Stephani aetate post triginta annos (1552—54 et 1554—55) atque in ipsa maturae iam philologiae luce Robortello coram et Sigonio Victorioque fieri potuisse statuas, absurdus eris.

Evanescit igitur vulgaris illa de Anacreonte in Italia reperto fama, quae Stephano dedita opera silente ex ancipitibus eius verbis et velatis (Schediasm. var. VI p. 273) sumitur. apparet simul nugas fuisse quae de famosissimo invento suo non solum absona sed inter se diversa et de *antiqui libri tegmine* nunc, nunc de *corticeo* codice antiquissimo gloriatus Italis ipse narrabat[34], eo quidem consilio ut cuius rei veram naturam rationemque celare apud se constituerat, eius suspectam ipso silentio auctoritatem aliquo modo affirmaret. nunc autem comparatis et inter se collatis et codice Palatino et editione Stephani, apographo insuper Stephani quod editionis per plures annos comparatae fundamentum fuit, manifestum est nullum usquam inde a Stephani aetate Anacreontis codicem extitisse praeter Palatinum. quod autem de tertio aliquo

exemplari Henricus subdidit, cuius vana eum spes tenuerit editionem morata, hoc non est cur fictum aeque esse aestimes, est cur verum. nam qui amicus fuit Guilelmi Sirleti (postea cardinalis) *Hebraicae Graecae Latinaeque linguae peritissimi* et multum cum eo litterarum causa Romae versatus (1553/54), hunc verisimile est vidisse Sophronium Sirleti[35] (Matranga apud Mai. Spic. Rom. t. IV p. XIX sqq.) postea Barberinianum (saec. XI/XII), in quo secundum indicem antiquum qui praemittitur (cf. Th. Bergk in ed. III. Poet. lyr. Gr. p. 1079) eorundem *Anacreonteorum veterum* plane similis collectio similique ordine proposita olim extiterat, quae tamen, mutilo codice, ut Leonis Allatii iam tempore ita sine dubio etiam Sirleti periisset.

Vetera esse Anacreontea i. e. ea quae neque ad imitatorum illud quod ostendit codex Barberin. Christianorum genus saec. nono florens neque ad auctores Sophronii (saec. VII) aequales poetasque (e quibus Ioannem novimus) Gazaeos pertineant sed Gregorium Naz. antecedant et Synesium et saeculum quartum, hoc vel ea re quodammodo significatur quod, cum in recentibus illis plana sint omnia et perspicua, Palatina sunt corruptissima. num autem ad ipsum Anacreontem Teium ex his veteribus vel unum quoddam merito referatur, hoc et ignoramus et ignorabimus. num eiusdem Anacreontis aut omnia aut plurima revera fuerint quae sub eo nomine ab Alexandrinis accepta atque collecta et quinque libris edita a grammaticis postea oratoribusque et sophistis citantur, hoc aeque ignorantes ignorabimus. dubitabimus tamen de utroque, unum hoc pro certo statuentes

eadem fuisse quasi Anacreontis carmina nonnulla et in collectione Alexandrina et in eclogis Byzantinis cum Anthologia editis, his autem ab editore admixta fuisse carmina recentiora, etiam recentissima, in simile partim argumentum scripta.

Berolini 9. Februarii 1868.

Valentinus Rose.

Non animi causa sed editori morem gerens nunc iterum hos versiculos perlegi, quos olim perspectis scripti codicis editique fatis non solum vetere mendacio sed novella dissimulatione obscuris, Henrici mei gaudia inventionesque recolens tractavi. nunc pauca mutavi, pauciora addidi, non nulla diligentius ut typis imprimerentur curavi, adhibita quidem codicis imagine, quam Zangemeisteri bibliothecarii Heidelbergensis cura laudabili photographice nuper Parisiis expressam, pro ipsa membrana quam sibi sero volebant Heidelbergenses, accepimus omnes qui Graecarum litterarum studio delectamur. sic tamen accepimus ut cogitemus de accentibus praecipue spiritibusque atque eius modi linearum ductibus saepius evanidis deque omni correctoris negotio neminem tuto iudicare posse nisi qui ipsum codicem viderit.

Berolini 20. 5. 1875.

V. R.

Adnotationes.

[1] Scilicet si solius scripturae genus spectas, codex Pal. potest esse saeculi vel X vel XI vel etiam XII, argumenta vero si recolas ex rebus petita, Iacobsii fere sententiae accesseris statuesque supparem fuisse librarium auctorum quorum carmina inseruit recentissimorum Constantini Siculi atque Theophanis *τῶν μακαρίων*, Arethae archiepiscopi (Iacobs app. cr. 832) et Constantini Rhodii (XV, 15. app. 817. cf. Matranga Anecd. p. 627), ipsius etiam qui sub Constantino Porphyrogenneta († 959) egerit collectoris Constantini Cephalae, Michaelis denique *τοῦ μακαρίου*, cuius cum apographo ex ipsius Cephalae libro sumpto suum contulit (Iac. app. 326. 328) qui Cephalae opus additamentis auxit editor codicis Palatini.

[2] *ἡ βίβλος τῶν ἐπιγραμμάτων* (sec. indicem vet. Anth. Pal.). ex cod. Pal. *γριφώδη* ea (alibi nusquam reperta) sumpta esse demonstrant ipsius codicis lectiones (apud Iac. app. 800 sq.) cum Stephano comparatae.

[3] cuius rei famam quandam servavit de la Monnoie in notissima illa apud Baylium (Dict. s. Anacreon) epistola.

[4] filios filiasque (Pits. p. 768) ex quibus *pars nupsit Christo pars altera mundo.*

[5] Ios. Scaliger epist. 430. — ignotus fuit Friderico Sylburgio († 1596) nec extat in catalogo quem is confecerat codicum Graecorum (cf. Wilken Gesch. d. Heid. Büchers. 127. 203). de quo catalogo notissimo (cf. Ios. Scaliger epist. 415—19. 421. 432—34) et a 1701 typis edito ridiculus est

error Theineri in libro infra citato p. 23 sq. idem enim est cuius excerpta a Gretsero accepta A. Possevinus edidit in Apparatu Sacro Ven. 1606.

[6] cf. A. Theiner, Schenkung der Heidelberger Bibliothek durch Maximilian I. Herzog u. Churf. in Bayern an Papst Gregor XV. und ihre Versendung nach Rom. München 1844. p. 25: *Gemäss der in Rom erhaltenen Instruktion löste er von allen Handschriften die dicken und ungeschickten Holz- oder Ledereinbände ab, was um so nöthiger war, da sie allein mehr als das Doppelte sämmtlicher Handschriften und Bücher wogen. Ihr Transport wäre beinahe unmöglich gewesen. Aus Neugierde liess sie Alacci alle auf einen Haufen zusammen legen, um eine Uebersicht von ihrer Masse und Gewicht zu haben; sie füllten 13 Frachtwagen an, und hatten ein Gewicht von mehr denn 200 Centnern.*

[7] qui numerus antiquus est, nam in charta quam ab initio huic ut ceteris codicibus adlevit bibliothecarius Romanus legitur *Codex Palatinus N. 23. Anthologiae altera collectio* . . . mox finito indice post titulum *Timocreontis* 614 additur *ubi primae partis est finis. vide eodem Numero partem Secundam in alio codice.* praeterea in tegmine haec:

In novo Pal. XXIII *Indice*
Olim 33.

in extrema autem p. 614 (cuius duae tertiae partes vacuae sunt) ita scriptum est: τὰ λοιπὰ ἴδε ἐν κωδ. λγ. atque similiter in charta eiusdem bibliothecarii codici Parisino praefixa legitur: *Codicis Palatini Num°. 23 est autem secunda pars alterius codicis eodem Numero* . . . deinde in ipsa pag. 615: πλήρωμα τοῦ κωδ. κγ. in utroque volumine nota illa extat inscriptio *Sum de bibliotheca* etc. ceterum ante p. 1 cum initio codicis notum est nunc abesse Nonni ecphrasin.

[8] vel secundum veterem Romani manum (fol.) 615—660 sqq. (*In statuam Palladis* 615 . . . *Cometa Thersites* 660. *alia epigrammata in aurigas foliis ultimis additis*). de duobus tomis codicis Pal. 23 (antea 33), quanquam argumento addito significantur, nulla tamen mentio facta fuit neque in recensione codicum ex bibl. Vat. Gallis traditorum impressa Lips. 1803 (v. A. Friederich, Geschichte der nach Rom entführten Heidel-

berger Bibliothek. Karlsr. 1816 p. 62), quam ante oculos habuit Wilken (ib. p. 82. cf. Bähr: Heidelb. Jahrb. 1868 p. 533).

[9] ex catalogo manu scripto facile repertum: in eo enim prostant haec sub numero *CCCLXXXIV. Codex membr. sive Pars codicis Palatini no. 23, quo continentur:* 1. *In statuam Palladis* *615* . . . etc.

[10] in paginis XVI, vel. sec. num. Rom. f. 645 (ubi errore scriptum est 445) — 652 in foliis octo.

[11] cf. codicis p. 343 apud Wattenbach Anl. zur griech. Palaeogr. tab. 5.

[12] v. Catal. bibl. Lugd. Bat. 1716 p. 396. cf. Peerlkamp in N. Act. soc. Rheno-Trai. I, 121. insunt in hoc codice ipsius Stephani manu (a. 1553 Florentiae, cf. Anecd. Gr. et Graecolat. I, 1 sqq.) descripta et Certamen Homeri et Veterum heroum (ex Peplo) epitaphia, atque haec quidem plane conspirant cum apographo Petri del Furia, quod in minore fragmentorum Pseudaristotelicorum editione m. Iulio 1867 typis absoluta nuper adhibui. consentiunt, ut hoc unum exemplum proferam, in scriptura κώων a Schneidewino demum per coniecturam restituta, ad quam in margine apographi postea de suo adscripsit Stephanus quod in textum editum recepit κώμῃ. vid. Arist. opp. gr. ex ed. acad. Berol. p. 1576b 33 (t. V).

[13] quaeque, in latinis quidem, modo cursiva vulgarique scriptura ex medio aevo et saec. XV tradita utitur, modo nova illa et ab Italis reformata saec. XVI, quam monstrat Henrici epistola apud Renouard Annales de l'imprim. des Estienne ed. II p. 368 qualemque in scripturae speciminibus ab illius saeculi magistris publice propositis identidem conspexeris (cf. e. gr. Ioh. Newdörffer Bürger und Rechenmeister in Nürmberg *Anweisung einer gemeinen Handschrift* A°. 1538). eiusdem autem hominis scripturas has diversas esse ex ipsis rebus sequitur: nam sive hac utitur scriptor sive illa, ea scribit quae Stephani propria esse et ab hoc primo prolata editio a. 1554 facta doceat. in ipso textus apographo (quod octo cum titulo foliis constabat) ad imam primae paginae marginem manus eadem calligraphica quae versiones odarum latinas adiecit in foliis sequentibus, haec verba scripsit *Ex libris* *btestor te per deum vivũ quicunq*

ū repereris mihi reddendū cures. ubi inscriptum olim Henrici Stephani nomen abscissum esse manifestum est.

[14] sequebantur enim in Anth., post Syringem Theocrito diserte tributam, sine nomine Securis et Alae et Arae, nec nisi in principio ac fine alterius arae Dosiadis nomen erat ante Besantini (Simmiae vel Dosiadis Rhodiorum) Ovum.

[15] item licet non primus edidit Manuelis Holoboli rhetoris (id est ipsius Maximi Planudis qui alterum illud epigrammatum Florilegium ex Cephalae opere aliisque conscripsit) scholia in Aram secundam, quae ex alio exemplari (tria habuit Is. Vossius Obs. ad Melam p. 114) quasi nova edidit Valckenarius in Diatr. in Eurip. perd. dr. rel. p. 130: nam haec iam in ed. Ven. 1543 post Scholia in Th. impressa fuere, cum corrupto *ὠδιάδου τινὸς* nomine pro Dosiade. — de Mediol. c (Ambr. B 75 sup.) vid. Ahrens in Bucol. t. I p. XXVII, Ziegler in Theocr. ed. Tub. 1867 p. VII.

[16] eiusmodi Theocriteus sine dubio fuit vetus codex *Παύλου τοῦ Βουκάρου* (sec. Schol. — Musuri — in Anth. Pl. p. 43 ed. Wechel., qui idem est *Παύλῳ τῷ Βουκεφάλᾳ* ed. Theocr. Iuntinae, cf. Ahrens Bucol. gr. t. I p. LIII sq. [idem in *Philologi* a. 1874 t. 33 p. 407 sqq.]) id est Pauli Capivacii nobilis Patavini et Musuri olim discipuli qui *annos natus 70 et amplius* a. 1553 mortuus est (vid. Bern. Scardeonius Patav. de antiq. urbis Patavii Bas. 1560 p. 313). Capivaccei — Caput Vaccae, de Capitibus Vaccae (Capodivacca) — frequentes sunt in Tomasini Urbis Patav. Inscr. Pat. 1649. ceterum codex iste Capivacii vel idem vel similis fuerit Mediol. k (Ambros. 222) apud Ahrens p. XXVIII. in eo ut in ceteris codd. Theocriteis id est in eo Anthologiae exemplari quod habuit qui Theocriti epigrammata primus selegit, uni Theocrito multa diserte tribuebantur quae *Theocriti sive Leonidae,* mox unius *Leonidae* sunt in cod. Pal. (VII, 658—64). ex quibus tamen quae in Anth. Planudea Leonidae tributa videbant VII, 662 (Theocriti sec. Sch. Wechel.), item IX, 435 (+ 436), ea omiserunt editores (Iunt. Call.), iidem cum codicibus VII, 534 Automedontis neglexerunt contra Planudeam.

[17] cf. etiam Schol. Pal. *περὶ τοῦ πελέκεως* et *περὶ τοῦ πτερυγίου* cum eisdem apud Calliergum scholiis partim omit-

tendo deminutis partim transpositis. — de codicibus Ovi et Securis qui Simmiae Araeque qui Dosiadis nomen servant post Ahrensium (1855) et Zieglerum (1867) nunc vid. Bergk in Antholog. lyr. ed. alt. Lips. 1868 prf. p. 73. 82. de Securis versu medio (quem omisit etiam cod. Palat.) ibid. p. 74 sq.

[18] cf. Ioh. Lelandi encom. ill. vir. (Collectan. ed. alt. Hearnii t. V) p. 137. Romuli Amasaei orat. vol. Bon. 1564 p. 281.

[19] i. e. famulus (page) in eius domo (ex more tunc vulgari) educatus: qui adfuit Antverpiae (a. 1515) sermoni *quem Raphael Hythlodaeus vir eximius de optimo reipublicae statu habuit* (in Utopia Mori. Bas. 1518 p. 20, cf. Letters and Papers of the reign of H. VIII. App. n. 17 t. II, 2). — *proficit in dies* Erasm. ep. (ed. Lugd. B. 1706) 227. App. 252. — Mori liberorum praeceptor primus (Stapleton Tres Thomae Col. 1612 p. 250). — cardinaliciis negotiis (apud Wolsaeum) impenditur a. 1517 (Er. ep. 242. cf. Letters and Papers n. 4101). *one of Card. Wolsey's lecturers* (1518—20) Wood Ath. Oxon. Fast. I, 27. Hist. un. Ox. II, 36. cf. litt. univ. Oxon. ad Wols. Ox. 5 id. Nov. 1518 (Fiddes, Life of Wolsey, Coll. p. 37): *Infesta quidem nimis inguinariae pestis vis tribus his mensibus nostros anxius contorsit et in varia loca dispersit . . . In hac pacatiore aeris severitate nonnulli sunt reversi eoque gregatius ad nos redeunt quod cum Clementem suas lecturas publicasse passim fuerit divulgatum* etc. cf. Stapl. p. 250 et 197. — De Clemente quem ipse novit plurima praebet Thomas Stapleton († Lovanii 1598) in Tribus Thomis (ed. pr. Duaci 1588). cf. Io. Pitsei Relat. hist. de reb. Angl. Par. 1619 p. 767. reliquos vitae annos definit epitaphium Guil. Rastalli († Lovanii 1565) uxorisque Wenefridae quae Ioannis Clementis filia *Latinae linguae non imperita, Graecam vero eximie callens* (sicut Margareta mater) mortua est Lovanii a. 1553 (apud Pits. p. 765): scil. a. 1550 *sub rege Edwardo VI. fidei causa solum vertit et usque ad regis mortem* (6. Iul. 1553) *in exilio vixit* (Lovanii*). *sed ad regni solium sublimata*

* Roger Ascham Lovanii commoratus m. Octobri 1550 in epistola (Works I, 248 ed. Lond. 1865) haec scripsit: *He (Mr. Bransby) is loved withall, and regarded with the best; nor doth not use the company of J. Clement and Rastall, which, to see a mass freely in Flanders, are content to forsake, like slaves, their country.*

Maria regina domum iterum rediit. Maria vero defuncta (1558) *et surrogata Elizabetha in exilium denuo profectus est* (cum eodem ut videtur Rastallo a. 1562) *usque ad vitae suae finem.* et tunc quidem Lovanii primum cum genero ut olim degit, deinde Bergis (Stapl. p. 228), tandem Macliniae, ubi uxor mortua est a. 1570, ipse 1572. — his consona sunt quae ex inedito Io. Caii *Libro* (a. 1555 instituto) *Annalium Collegii medicorum Lond. ab a. 1518* (quo conditum fuit) *ad a. 1572* (cf. Cooper Ath. Cant. I, 317) in ipso collegio (College of physicians) nuper excerpsit amicus H. Müller-Strübing. 1528 *Io. Clemens doctor in collegarum numerum adscriptus est.* idem *consiliarius* factus est a. 1529 quo *Willelmus Butte* (in marg. al. m. *Buttes*) *regius medicus cooptatus est in collegium* (ipse Io. Caius cooptatus 1542). 1551 *electus est in numerum electorum Thomas Huys vice doctissimi viri Ioannis Clementis doctoris, Lovanii peregrinantis religionis gratia.* 1552 *Georgius Owen suffectus est elector.* 1553 *cooptatus est in praesidentem Georg. Owen, doct. In comitiis primo post reditum Lovanio apparuit Ioannes Clemens doctor.* — paulo ante ultimo m. Martii (1553) *the king concluded this parliament with a general pardon, out of which were the following persons excepted: Cardinal Pole . . . John Clement . . . William Rastal* etc. (J. Strype, Ecclesiastical Memorials vol. III p. 239 ed. nov. Lond. 1816). — a. 1529 *Dr. Clement* cum aliis duobus medicis ad Wolsaeum aegrotum a rege missus fuit *to consult and assist Master Buttes* (Dr. Butts, v. Cooper Athen. Cantabr. I, 87) *for my lord's health* (G. Cavendish, Life of Card. Wolsey ed. 1825 I, 222: ex quo John Stowe, Annales of England . . . L. 1592 p. 930). regnante Maria *he practised his faculty with good success in Essex near London* (Wood, Ath. Ox. I, 175).

[20] cf. Stapl. p. 198 . . . *sunt (Mori) ad Reginaldum Polum et Ioannem Clementem communes literae Oxonium, ubi tunc literis operam dabant, ex aula missae, in quibus sic scribit* etc. de Poli itinere vid. diss. card. Quirini in Epist. R. Poli t. I p. 193 sqq. (Brix. 1744). falsa enim aliorum opinio est qui a. 1526 rediisse Polum propter epistolarum quarundam annos facile corruptos credunt (Monumenti di var. letterat. tratti dai mstti di L. Beccadelli I, 2 Bologna 1799 p. 283).

[21] Morus ap. Stapl. p. 250.

[22] Romae Ian. — Aug. 1522, Venetiis Aug. 1522 — Oct. 1523, iterum Romae Oct. 1523—Mai 1524, quo tempore cum ex ipso iam per Germaniam reditu nova legatione remissus esset ad exercitum ducis de Borbonio, hunc comitatus inde a Iun. 1524 ad Venetos iterum rediit Febr. 1525. inde aegrotus autumno 1525 Angliam repetit. vid. State Papers. King Henry VIII. P. I. (1830) passim (cf. I p. 172. VI p. 120). Catal. of the Mss. of the Cotton. library: Vitell. B. V. VI. VII. idem Paceus iam antea Romae fuerat 1514—15.

[23] vid. in Burscheri Spicileg. autogr. Erasm. (Lips. 1802) XIX, 17 epistolam Io. Botzhemi d. d. XI cal. Nov. quae ad a. 1526 male refertur (pro 1525). cf. de Lupseti epist. Patavii X Cal. Sept. 1525 scripta Ind. epist. ad Erasm. autogr. in bibl. Burscheri. Lips. 1784 p. 10. ceterum quicunque vel obiter Erasmi farraginem inspexit, annorum notationes quae epistolis singulis a collectoribus editoribusve adscriptae sunt ut saepe falsas ita incertas esse plerasque omnes aegerrimo animo intellexit. — de Lupseto cf. Ath. Cant. I, 40. is lector fuerat Oxoniensis a. 1520—23, a lupo nomen gerens (*Lupeshed* ap. Knight, I. Colet, vers. germ. Lips. 1735 p. 432, *Lubished* Privy purse expenses of Henry VIII. ed. by Nicolas L. 1827 p. 44) ut patronus eius Wolsaeus (*Wolvesey*, Leland encom. p. 105, Fiddes, Coll. 210). — eodem anno 1525 ex Italia rediit Edoardus Wottonus Oxon. med., Georgii Agricolae amicus (de differ. animal. Par. 1552 praef. cf. Wood Ath. Ox. I, 94. F. I, 40. Madden, Privy purse exp. of pr. Mary prf. p. 39).

[24] propter Papadop. hist. gymn. Pat. I, 311 qui Amasaei mortis annum ignorat, eodem anno, scil. 1552, mortuos esse Amasaeum et Bonamicum adnoto ex praef. Fr. Robortelli ad l. de artificio dicendi. ceterum Bon. migravit Bononiam a. 1520 (Longol. ep. 1, 33), Amasaeus 1524, Polus autem Patavii erat iam m. Mai 1520 (Long. ep. 2, 33).

[25] Th. Mori Epist. p. 13 ed. Lond. 1642 (cum Melanchthonis Epp. = Th. Mori Lucubrationes. Bas. 1563. 8°. p. 454).

[26] ut efficitur ex epitaphio Rastalli. de doctrina Margaretae vid. praeter Stapl. p. 251 Io. Lelandi († 1552) *Epithalamium Io. Clementis medici et Margaretae* (Collect. V, 110). cessit tamen haec nominis fama ipsius Mori filiae Roperae

clarissimae († 1544), de qua v. Io. Costerium ad Vincent. Lirin. ed. Colon. 1585 p. 120 sq. (Stapl. p. 264).

[27] Cath. Patina, Tabellae selectae et explicatae. Pat. 1691 (ad Holbeini tab. familiae Mori Basileensem) p. 191 (Pitture scelte. Col. 1691 p. 212).

[28] v. Beat. Rhen. epist. ante Mori Epigr. (edita cum Utopia Bas. 1518) p. 170. de epigr. Mori cf. Rudhart, Th. Morus Nürnberg 1829 p. 92 sqq.

[29] nunquam ut videtur impressum: epitaphium enim uxoris (a. 1570 mortuae) quod exempli causa subnectit Pitseus, ex ipso Macliniae monumento (in ecclesia S. Romboldi) manifesto sumptum fuit. ceterum de eis quae ex Graeco Clemens verterat v. Stapl. p. 251 et l. c. Pits.

[30] natu minorem de quo Erasm. ep. 671. is Venetiis primum, deinde Romae (1515. 1516. 1523) artem exercuit. Musurus a Venetiis paulo ante accitus Romae obiit 1517 (25. Oct. v. R. Brown, Select. of despatches written by Seb. Giustiniani. L. 1854. II, 68). Lascaris autem Graecarum litterarum professor Romae erat a. 1514—18 (Renazzi, Stor. della Sapienza II, 77).

[31] qui sub Paulo III. († 1549) Romae praecipiebat (c. a. 1534. Montf. Pal. Gr. p. 105) et adhuc inter vivos erat Venetiis cum Conr. Gesnero a. 1543/44 (Bibliotheca Tig. 1545 f. 524). cf. Hodius de Gr. ill. p. 309. edidit tabulam Graeciae pictam, scripsit Graece l. de constructione et usu astrolabii ad Paulum III. (cod. Par. gr. 2499. 2782 A), grammaticam (cod. Par. gr. 2592*. cf. Marc. 492 etc.) ad Ioannem Lotharingium cardinalem (Jean de Guise n. 1498, m. 1550). cetera nihil ad hunc.

[32] mort. 1581 Genevae, olim Ferrariae professor (cf. Krebs, Sigon. p. 9), cuius filium Aemilium Heidelbergae docuisse notum est.

[33] de Nicolai Sophiani codice epigrammatum et de Fr. Porto Ios. Scaliger epist. 430, qui vacillante memoria omnia

*) grammaticam linguae Graecae vulgaris ex hoc codice nunc edidit Émile Legrand (Coll. de monuments pour servir à l'étude de la langue néo-hellénique No. 6) Paris. 1870, ubi cf. préf. p. 19.

confudit, nam cum de Michaele cogitaret doctis omnibus notissimo (qui Fr. Robortelli, H. Stephani, Pauli Manutii, aliorum multorum amicus admodum iuvenis cum Stephano Venetiis fuerat a. 1552), Porti vocem revocans nominavit Nicolaum, quem licet hoc ipsum neget Scaliger, Portum revera voluisse suspicor. de Ursino et codice quodam Angeli Colotii (qui et ipse intima familiaritate coniunctus fuerat cum Iano Lascari et in aula Leonis X usque ad mortem eius i. e. ad a. 1521 cum summo favore versatus: Fed. Ubaldinus, Vita A. Col. Rom. 1673 p. 57. 18) Harless (nescio unde) ad Fabr. B. Gr. IV, 430 (Iacobs Anth. Gr. VI p. XCI).

[34] cf. etiam, praeter alios locos notissimos, de latin. falso susp. (1576) p. 366 . . . *hoc tantum addere nunc libet, me quoties in illos incido quibus Plautus ideo non placet quod Terentio, propter alia etiam quam ea quae ad prisci sermonis consuetudinem pertinent, valde sit dissimilis, recordari Francisci Robortelli, qui mihi Patavii tantam dissimilitudinem inter Pindarum et meum Anacreontem (ita enim eum appellabat quod eum ex profundissimis tenebris eruissem) quum uterque esset poeta lyricus, mirari se, multis audientibus, me certe risum non tenente, dixit.*

[35] *Hebbe una libreria di scelti libri copiosissima, di valore di dieci mila scudi incirca, la quale dopo sua morte* (1585) *fu comprata prima dal Cardinale Ascanio Colonna, e poi dal duca d'Altaemps.* Girol. Ghilini, Teatro d'huomini letterati. vol. II. Ven. 1647 p. 170. cf. Miller, Cat. des mss. grecs de la bibl. de l'Escurial p. 305.

De

Ioannis Clementis

itinere Italico.

Ludov. Vives Erasmo (Lovanio 19. Ian. a. 1522):

. . . *Mauritius salutem tibi plurimam; salvebis et a Ioanne Clemente, qui non ibit in Italiam ante proximum ver: is dicit multum doluisse, quod se inscio profectus sis Basileam; nam si rescisset, comitatus esset te, et mansisset istic hyemem totam . . .*

D. Erasmi Rot. Epistolae . . . ord. temp. nunc pr. disp. Lugd. B. 1706. ep. 615 p. 707b.

Vives Erasmo (Brugis 1. April. a. 1522):

. . . *Credo te accepturum a Moro literas per Clementem, qui his proximis diebus profectus est in Italiam, transiturus Basileam, ut dicebat. Postremis ad me literis Morus nihil de morbo suo scribit, credo revaluisse: nam prioribus iam convalescere se significabat. Initio quadragesimae veni Brugas, quod quadragesima Lovaniensis incommoda mihi est . . .*

Ibidem ep. 619 p. 711e.

Christoph. Longolius Andreae Navagerio (Patavii 9. calend. Iul.).

Cum ad XV. Cal. Iul. hac potissimum de causa Venetias venissem, ut ab Rhamnusio naturalem C. Plinii

historiam auferrem, intellexi nihil ei abs te, ea de re, adhuc missum esse. ego vero iisdem, quibus ei Clementem Britannum literis commendasses, promissi tui rationem complexam esse arbitrabar, quod ipsum quando non accidit (festinanter enim, et eo tempore properante Clemente scripsisti, ut mihi mirum non sit, te, de eo quod mihi pollicitus esses, fugisse tum scribere) fac, si me amas, ut ex literis tuis, liber is nobis primo quoque tempore curetur . . .

Chr. Longolii Epistolarum libri IIII. Bas. 1558 (ed. Flor. 1524 f. 143) ep. IV, 19 (cf. ep. I, 2).

Andreas Asulanus Ioanni Baptistae Opizoni patritio Papiensi medicoque praestantissimo:

. . . *Et cum multa molesta et gravia, ut evenire solet magna audentibus, occurrerent: Hippocratis primum omnia quae non sine labore summo haberi potuere monumenta, emisimus: tum vero Galenum pene integrum ab inferis excitavimus: in quo restituendo tantum tibi laboris et vigiliarum impensum est, uti me saepe desperatio coepti subiret operis . . . Atque hunc quidem quintum* τόμον *tibi dicamus uni meritissimo: siquidem tuus est Galenus, etiam libra et aere, quod aiunt, et mancupio: tibi enim ille libertatem debet uni: tibi vitam, tibi dignitatem restitutam acceptam feret . . . Sed quando tu unus velut Imperator, bellum hoc patrare tam difficile et arduum non poteras, et grati est animi fateri cui debeas: agent etiam gratias graeci latinique restituti Galeni Clementi, et Odoardo* [Wottono], *et Roseo Britannis, qui te veluti Centuriones acerrimi in victoria hac consequenda plurimum adiuvere: sed nec Lupsetum in hoc munere contempseris, qui omnibus elaboravit nervis, ut, quatenus fieri posset, laboranti tibi veluti Atlanti, dum Axem*

humero torques, tanquam alter Hercules successerit: sed nec Georgius Agricola non parvam laudem est meritus, nam et ipse in emendando Galeno nihil sibi ad industriam et laborem reliqui fecit, ut honestissima tandem provincia et optimo Imperatore, et strenuis maxime militibus dextro, quod aiunt, Hercule sit confecta. Bene vale, Asulanorum tuorum memor, et Aetium ac Paulum, reliquosque medicos brevi post expectato.

Ante t. V Opp. Galeni ed. Ven. Ald. 1525 (t. I s. l. e. a., II et III *Ven. in aed. Ald. et Andreae Asulani soceri Mense Aprili* 1525, IV *Ven.* (etc. ut antea) . . . *Mense Augusto* 1525, V. s. l. e. a. — Hippocratis opp. mense Maio 1526).

Ioannis Caii Britanni de Libris propriis liber unus. Ad Thomam Hatcherum. Lond. 1570.

. . . *Postquam in Britanniam venerim* (ex Italia rediens 1544, cf. Cooper Ath. Cant. I,312—17) *nactus sum aliud exemplar* (Galeni), *περὶ ἐγχειρήσεων ἀνατομικῶν Ioannis Clementis Angli, probi viri et singularis medici, et alterum Thomae Linacri, hominis praecellentis iudicii, qui inter multa praeclara opera Collegium Medicorum Londini anno Domini* 1520 *instituit . . .*

p. 142 ed. S. Jebb (Lond. 1729 cum I. Caii de Canibus Britannicis aliisque opusc.).

. . . *Huius τῶν ὑγιεινῶν* (Galeni) *castigandi occasio haec fuit . . . Mendis enim scatebant omnia. Quocirca conquisitis undique exemplaribus manuscriptis non solum Italicis* (i. e. cum in Italia eram 1539 — 44) *sed et Anglicis cum reverteram (ex quibus duo porrexerunt Ioannes Clemens et Georgius Owenus clariss. medici) studuimus emendare, quoad eius fieri potuit, diligenter omnia . . . Perfectos igitur iam tandem libros, et ascriptos commentarios, Ioanni Oporino Basiliensi ty-*

pographo imprimendos dedi anno Domini 1563. *additis Galeni libris ad Thrasybulum, et de parva sphaera Graecis . . . Adiunximus etiam Galeni librum περὶ χυμῶν . . . Praefiximus epistolam ad dominam Annam, illustris viri domini Nicolai Bacon, magni sigilli Angliae custodis uxorem, foeminam Graece et latine doctissimam, Cocinae familiae literatissimae sobolem, cuius familiae et mares et foeminae* omnes conferri possunt hodie cum laudatissima illa Thomae Mori familia quae olim fuit: cuius etiam fecimus mentionem, non omissa recordatione literarum eruditissimae nuper reginae nostrae Mariae, et praesentis Elizabethae, claraeque Mildredae Cecilii**, Margaretaeque Ioannis Clementis coniugis, et Gulielmi Roperi uxoris Margaretae, aliarumque foeminarum illustrium tum nostrae memoriae, tum superiorum temporum in Britannia . . .*

ibid. p. 156—159.

. . . *At libellum περὶ πτισσάνης Graecum ad vetustum codicem manuscriptum non solum castigavimus, sed etiam integrum fecimus, cum prius esset factus lucerna mutilus, dormitantia eius qui Aldino praelo tum praefuerat, uti Io. Clemens Anglus, eximius plane medicus, et omnibus Graecorum Latinorumque ornamentis decoratus, qui per ea tempora Venetiis apud Aldum egit, certa fide nobis retulit. Dormitante enim illo, candela in exemplar cecidit, et combussit. Hos*

* *Quinque sciunt natae coniungere Graeca Latinis* sec. epitaphium Antonii Coci (Cooke) Cantabrigiense ap. Cooper Ath. Cant. I, 352.

** *quae haud aliter Graece intelligit et loquitur quam Anglice*, ut ait Roger Ascham in epist. a. 1550 scripta (Works. Lond. 1865 t. I p. 228).

Basileae excudit Io. Oporinus anno a Christo nato 1557 . . .

ibid. p. 173 (cf. Galen. ed. Ald. t. II, 2, f. 105[a-b]).

Principum, ac illustrium aliquot et eruditorum in Anglia virorum, Encomia, Trophaea, Genethliaca et Epithalamia. A Ioanne Lelando Antiquario conscripta. Lond. 1589.

Instauratio bonarum literarum.

Ecce renascentis doctrinae gloria floret,
Linguarum floret cognitioque trium.
Migrat in Italiam Graecus thesaurus, et artes
Se reparaturum praedicat usque bonas.
Excolit eloquii vivos Hispania fontes,
Gallia nunc studiis tota dicata nitet.
Nutrit honorifice doctos Germania multos,
Quorum sunt orbi nomina nota probe.
Ingeniorum altrix et nostra Britannia, Phraeum,
Tiptotum, Viduum, Flaminiumque tulit.
Lumina doctrinae, Grocinus deinde secutus,
Sellingus, Linacer, Latimarusque pius,
Dunstallus Phoenix, Stocleius atque Coletus,
Lilius et Paceus, festa corona virûm.
Omnes Italiam petierunt sidere fausto:
Et nituit Latiis Musa Britanna scholis.
Omnes inque suam patriam rediere diserti,
Secum thesauros et retulere suos:
Nempe antiquorum scripta exemplaria passim
Graecorum, aeternas quae meruere cedros.
Vivat doctorum felix industria, per quam
Lux, pulsis tenebris, reddita clara nitet.

p. 137 Lond. 1774 (I. Lelandi Collectanea cum Tho. Hearnii praef. etc. Ed. alt. Vol. V. cf. Leland. ap. Tanner Bibl. Brit. Hib. L. 1748 p. 287. 337. 365. 598. 715. 735).

ΑΝΑΚΡΕΟΝΤΟΣ ΤΗΙΟΥ

ΣΥΜΠΟΣΙΑΚΑ ΗΜΙΑΜΒΙΑ.

1. (63) ᾿Ανακρέων ἰδών με
ὁ Τήιος μελῳδὸς
ὄναρ λέγων προσεῖπεν,
κἀγὼ δραμὼν πρὸς αὐτὸν
περιπλάκην φιλήσας.
γέρων μὲν ἦν, καλὸς δέ,
[καλὸς δὲ καὶ φίλευνος·]
τὸ χεῖλος ὦζεν οἴνου,
τρέμοντα δ' αὐτὸν ἤδη
Ἔρως ἐχειραγώγει.
ὁ δ' ἐξελὼν καρήνου
ἐμοὶ στέφος δίδωσι·
τὸ δ' ὦζ' Ἀνακρέοντος.
ἐγὼ δ' ὁ μωρὸς ἄρας
ἐδησάμην μετώπῳ·
καὶ δῆθεν ἄχρι καὶ νῦν
ἔρωτος οὐ πέπαυμαι.

1. Scriptura codicis: 2 μελωιδὸς. — 3 προσεῖπεν i. e. προσεῖπεν et corr. προσεῖπον (correxerat Stephanus iam inter scribendum in ipso apographo, ubi προσεῖπεν). — 4 καγω. — 5 περὶ πλάκην. — 7 καλὸσδὲ (sic). — 8 ὦζεν. — 13 ὦζ'.

Stephanus in editionem suam (cui titulum ipse fecit Ἀνακρέοντος Τηΐου μέλη: nam in apographo eius idem est qui in codice) hoc carmen non recepit, postea tamen a. 1560 post Pindari et cet. octo lyricorum carmina (repetita a. 1566. 1586 et a Paulo Steph. 1600) et ipsum primus edidit (p. 406 una cum carmine sexto 'Iuliani Aegyptii. Ex lib. VII. Anthologiae epigr.' p. 408) tamquam 'Incerti autoris de Anacreonte'. qui eo usus

τοῦ αὐτοῦ βασιλικόν.

2. (6v) Δότε μοι λύρην Ὁμήρου
φονίης ἄνευθε χορδῆς,
φέρε μοι κύπελλα θεσμῶν,
φέρε μοι νόμους κεράσσω,
μεθύων ὅπως χορεύσω,

est Is. Casaubonus in Animadvers. ad Athen. Lugd. 1600 p. 603, licet ipsius Henrici gener (a. 1598 mortui), originem ignoravit (cf. Anecd. Gr. 1, 15). ceterum, cum propter versiculorum imparem numerum unus certe alienus censeatur, eicio septimum ad sententiam etiam ineptissime intrusum (καλός γε scripsit Casaub.): certa enim ἡμιαμβίων paria hae sibi cantilenae volunt.

